



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

1 Iudaei ipsis brutis sunt deteriores, Ad Christi fidem conversi retinent jus  
succeßionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

- 31 Iudæi non possunt doctoratus dignitate insigniri.
- 32 Iudæi non sunt ad agrorum curam adhibendi, & quare.
- 33 Mortem appetit, qui à Iudæo sanitatem querit.
- 34 Medicus Christianus agrum ad pœnitentiam hortari tenetur.
- 35 Iudæi Christi nomen invocare prohibentur.
- 36 Iudæis Christianorum interdici potest commercium.
- 37 Hereticis, & eorum fautoribus non sunt committenda officia.
- 38 Heretici peiores sunt Iudæis.
- 39 Idem, quod supra num. 37.
- 40 Idem.
- 41 Idem, quod supra num. 16.
- 42 Idem, quod supra num. 36.
- 43 Iudæi, quare in Ecclesia Dei tolerantur.
- 44 Iudæorum fides fundamentum habet veritatis.
- 45 Episcopi non possunt dispensare, ut domi sue nutrices Iudæorum infantes lactent.
- 46 Iudæis inservientes sunt excommunicandi.
- 47 Ecclesia triplex.
- 48 Idem.
- 49 Idem.
- 50 Iudæis synagoga quomodo sint permisse.
- 51 Synagoga apud Hebræos, idem est, quod apud nos Ecclesia.
- 52 Iudæis octo sunt permissa cœtera prohibita.
- 53 Hereticis non licet synagogas, & similia loca sibi constituere.
- 54 Mesquitas apud fideles Sarracenis habere non licet.
- 55 Mahometis genus.

**A**LOCVSTIS ad Iudæos, & Sarracenos descendimus, qui dum suæ cæcitatibus in tenebris vivunt, Christum Jesum minimè volentes agnoscere, non procul absunt ab irrationabilibus, imò his fortè deteriores, juxta *Isai. cap. 1. circa princ.* Bos, inquit Dominus per Prophetam, cognovit possessorem suum, asinus præsepe domini sui, Israël autem me non cogitavit.

<sup>1</sup> Quandoque tamen † divino instinctu, supernaque luce cœlitus illustrati ad fidem Christi convertuntur, & tunc conversi non perdunt agnationem, quominus parentibus succedant, sicut prius, *cap. Iudæi, & Sarraceni, ubi etiam Abb. num. 2. de Iud. & Sarraceni.*

<sup>2</sup> Quinimò talis filius † conversus potest petere legitimam in bonis patris vi-

ventis, Felyn. in eodem cap. Iudæi, num. 2. Ferret. cau. 24. quem citat, & sequitur *Vrbl. de Affli. decis. 151. num. 10. ut in cap. 35. tomo 1. ubi nonnulla de Iudæis, de quibus aliqua inacta hoc loco tangenda judicavi.*

<sup>3</sup> Iudæos ad fidem conversos † curare debent sacerdotes baptizantes, & alij de sacro fonte eos suscipientes, tam ante baptismum, quam post, illos in articulis fidei, & legis novæ præceptis Catholicæ Ecclesiæ ritibus diligenter instruere, & tam ipsi, quam diocesani operam dare, ne sicut quandoque contingit, ab infirmitate curatis, modica occasio ad pristinam damnationem recidivam efficiat, ut inquit *Paul. III. in constit. 29. §. curent insuper, in Bull. Romæ. pag. 415. cap. vos ante, & ibi gloss. & Archid. de consecr. distinct. 4.*

**N u n n a**

**Et,**